

EPISTOLA.

me beneficia extent, quis memorem & gratum
esse me debere non fatebitur? Sed altera quo-
que huius libri vobis nuncupandi ratio, & priore
quidem non minus iusta accedit, quod ex huius
libri argumento, quanta Deus in vos ipsoſ benefi-
cia contulerit, & quot quantisque malis vos eri-
puerit, dum & Papismo, & varijs erroribus li-
berat, animaduertetis. Quanquam enim ea est
diuinæ & Euangelicæ veritatis vis, ut hominibus
ad eam attendentibus, omnes errorum nebulas, &
turpissima hæreſeōn mendacia luce sua discutiat,
singulare tamen, & quodammodo peculiare vide-
ri potest hoc Dei erga vos munus quod mira felici-
tate & celeritate illud infelix lolium, quod bono
verbi Dei semini Satan admiscere solet, penitus
ex vestra ciuitate extirpastis. Magna quidem
Pastorum vestrorum, in primis autem magni
illius Caluini vigilantia id factum esse,
nemo quantumuis inuidus diffiteri potest: sed
tamen in eo non parua certe laus vestra est,
quod sanis Pastorum vestrorum consilijs pa-
ruistis, neque aduersariorum iudicia veriti,
neque potentissimorum regum inuidiam &
minas pertimcſcentes. Itaque in ea, quam vo-
bis Dominus verbo ſuo patefecit, veritate puriſ-
ſima conſtanter & intrepide permansistiſ. Ne-
que non tamen in vestra hac ciuitate Satan ſua,

† iij.